



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Petri De Dusburg, Ordinis Teutonici Sacerdotis, Chronicon
Prussiae**

Petrus <de Dusburg>

Francofurti ; Lipsiae ; Regiom. Pruss., 1679

Cap. CC. De Impugnatione Terrae Sudoviae & captivitate & morte plurium
Sudovvitarum.

urn:nbn:de:hbz:466:1-11850

CAP. CXXIX.

De

Vastatione terræ Sambiensis.

Tempore hujus Magistri Fratris Mangoldi Sudovvitæ ex præmissis & variis afflictionibus castigati per fratres ultra modum turbati sunt & concepta contra ipsos indignatione nimia, concilium fecerunt, quomodo possent oppressionem hujusmodi vindicare, & quia per se non poterant adjuncto sibi auxilio Lethovvinorum intraverunt potenter terram Sambia. Fratres longo tempore de hoc fuerunt præmuniti. Unde nihil aliud facere poterant, nisi quod X. diebus pertransierunt terminos dictæ terræ & habitationes, & alia, quæ extra Castra & munitiones sita fuerant cremaverunt, & sic occisis de exercitu suo V. Viris recesserunt.

*Anno Domini MCCLXXX.
Karolus Rex Salerni canus &
postea Rex Sicilia corpus Ma-
rie Magdalena reuelavit.*

*Eodem anno Albertus Ma-
gnus Colonia moritur. Hoc
etiam anno S. Jodocus in Dia-
cesi Pomesaniensi in Prussia
incepit facere miracula.*

CAP. CC.

De

*Impugnatione Terræ Sudovviæ & capti-
vitate & morte plurimum Sudovvitarum.*

Medio tempore, quo iste exercitus infidelium fuit in terra Sambia, Fr. Ulricus Bavarus Commendator de Tapiovv cum XII. fratribus & (a) CCL. Viris equitibus intravit Sudovviam & præter alia damna quibus afflixit eam incendio & rapinâ (b) CL. homines cepit & occidit, uxores Nobilium filios & filias & fa-

Hartmannus C. de Helderungen VIII. Mag. Gener. Ord. Teut.

Manoldus de Sterenberg XI. Magister in Prussia Prov

& familiam captivavit, sic quod Sudovvita hic plus perdiderunt, quam in Sambia sunt lucrati.

ANIMADVERSIONES.

(a) Chronicon Germanicum MS. antiquum in 4. habet CC.

(b) Idem Chronicon habet CC.

CAP. CCI.

De

Bello Fratris Ulrici contra Sudovvitas.

Hic frater Ulricus totus fuit magnanimus. Audebat enim aggredi ardua facta, quæ meticulosus inspicere formidabat, multa & infinita damna intulit Sudovvitis, totiens contra eos bellum movit, quod Magister timens ex hoc sibi aliquid notabile periculum evenire, prohibuit eum ne de cætero ipsos impugnet sine sua licentia speciali. Et cum quæreretur ab eo quare sic infestus esset ipsis? Respondit, non curarem quid agerem, ut possem vulnerari ab eis V. vulneribus, sicut Christus pro me fuerat vulneratus; & sic factum fuit ei, quia Sudovvita tandem ipsum in bello vulnerantes, V. vulneribus occiderunt.

CAP. CCII.

De

Conversione cujusdam Sudovvita & mirabili facto.

Hoc tempore quidam Nobilis Sudovvita dictus Ruffigenus cum omni Domo & familia venit ad Commendatorem de
N n Balga